



~~217~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.

JOVA JUVA!
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
EX
THEOLOGIA NATURALI
DE
ÆTERNITATE. 21

QVAM
DEO ÆTERNO DUCE,
ex benevolò Ampliſſ. Facult. Philoſoph. indultu
IN ELECTORALI AD ALBIM LEUCOREA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI PRÆCLARISSIMI, HUMANISSIMI,
PARITER ATQVE DOCTISSIMI

DN. M. PAULI PLATANI,
Muotová - Hungari,
Fautoris atqve Amici honorandi, Præceptoris
itemq; æſtumatiffimi,
Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni
ſiſtit.

AUCTOR & RESPONDENS
MICHAEL SARTORIUS,
Gubenenſis Luſatus,
Ad Diem XXVII. Martii, A. O. R. M. DC. LXXVIII.
IN AUDITORIO VETERIS COLLEGII,
Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOH. BORCKARDI excudebat SIMON Sieberhſtre.



DISSECTATIO PHILOSOPHICA
ET
THEOLOGIA NATURALI
DE

ETERNITATE.

DEO AETHIO. DEE.
et benedictio Augusti Episcopi, Indulgentia
IN RECTORIA...
VITAE CLASSIS...
PUBLICE...
Munich-Hauger

DR. M. P. A. U. L. I. P. L. A. T. A. N. I.

Emulcratioque Aethi...
Publice...
Munich-Hauger

MICHAEL SARTORIUS.

ALUMNI...
IN...
Munich-Hauger

WITTEBERG.
Typ. Joh. Beckmann, excudit sine anno



Ζυὸ τῷ Θεῷ ἀγαπῶ!

PRÆFAMEN.



Voniam unicè à DEO, ceu omnis boni fonte; bona tam corporalia, quàm spiritualia profluunt, ideò unicuivis pio DEI cultori, ut de illo, tanquam vero & summo Bono, quò solò beatus esse potest, diu noctuq; meditetur, maximè incumbit, quandoquidem non sufficiat tantùm religiosè DEUM colere, sed & piè de ipso loqui, cùm nullum utilius objectum meditationi suæ quisquam deligere possit, quàm si in ejus naturæ & operum consideratione versetur. Multi tamen, ne, scrutando Majestatem Divinam, ab ea opprimantur, silentiò potiùs DEUM venerari, quàm de eo loqui malunt. Sed cùm tam è sacrarum literarum Pandectis, quàm ex Natura, esse verè DEUM, luculentissimè constat, ideò minimè silentium ejusmodi probatur, Ambrosius enim, (a) *quæ, ait, DEUS osculta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati.* Dolendum sanè est, quòd tam planè & plenè DEI cognitio nobis non innotescat, interim tamen conceptus tales in nobis de eo sunt formandi, qui nos aliquantisper in ejusdem notitiam ducant; Quò faciunt *Attributa Divina*, quorum ope DEI essentia nobis representatur, quæ quidem, prorsus eadem sunt materialiter & entitative, plura tamen sunt ratione sive *equivalenter*, ut benè hoc ipsum explicat Thomas (b). Et quamvis maxima admodùm difficultas atqve obscuritas nobis hîc sese præbeat, quæ potissimùm, judice B. Jac. Martini (c), *ex quatuor istis DEI Attributis fluit: scil. ex Spiritualitate: ex purissima Simplicitate: ex Infinitate & Æternitate;* Nos tamen minimè deterriti hac difficultate nihilominùs de ultimo hoc DEI Attribute, videlicet de ÆTERNITATE, nunc in præsentî Dissertationem hanc pro ratione instituti prodere certas ob causas animo decrevimus, atqve in ejusdem examine ingenii nostri tenuissimi vires experiri volumus. In duabus autem Sectionibus, quarum prima erit *δογματικὴ*, quid sit Æternitas, & quomodo dispescatur, altera *ζητητικὴ*, quasdam Quæstiones exinde fluentes exhibens, res tota delineabitur. Æternum Numen nostris adsit conatibus, ut de Æternitate vera atqve salutaria dicamus! Sit proinde in ejus nomine

A 2

SECTIO

(a) *Lib. 1. de voc. Gens.* (b) *In 1. d. 2. q. un. art. 3. ad 6.* (c) *In Exercit. Met. Exerc. IV. Theor. 2. p. 674.*

SECTIO I.
DOGMATICA

§. I. **Q**uotuplici viâ DEUS aliâs cognoscatur, notum esse puto omnibus, qui in hoc argumento versati unquam fuerunt. Præter viam enim *causalitatis* atque *negationis* etiam via est *eminentia*, seu *perfectio*, quâ, quicquid in creaturis maximè perfectum invenimus, DEO quoque, seu summo Enti, longè eminentiori modò, absque omni tamen imperfectione, attribuimus. Jam autem *Duratio* ipsa rebus creatis competit, per quam creatura permanet in essendo, suamq; quasi continuat existentiam, igitur etiam in DEO tale dari necesse est *Attributum*, per quod ipse in essendo permaneat. Sed cum *Duratio* ejusmodi determinata, quæ in creaturis invenitur, multis modis sit imperfecta, ideò talis Enti infinito non potest attribui; sed longè eminentior, nec non ab omni imperfectione depurata. Hæc itaque & à Scholis Theologicis & Philosophicis vocatur speciali nomine *Æternitas*, vel *infinita Duratio*, quam DEUS, ut *Attributum* proprium, sibi vindicat.

§. II. Sunt autem *Attributa* DEI multiplicia, non quidem in se; sed secundum nostrum solummodò concipiendi modum, fundamentò tamen deprehenso, alia enim sunt Absoluta, alia Respectiva; quædam sunt θετικά s. affirmativa, quædam σρητικά s. negativa; nonnulla sunt ἀκοινωνητά s. non communicabilia, nonnulla κοινωνητά s. communicabilia; aliqua sunt ἀνεργητά vel quiescentia, aliqua verò ενεργητικά vel operativa; Ex horum itaque *Attributorum* ordine priorè etiam est *Æternitas*, ex qua, DEUM esse, utique secundum nostrum intelligendi conceptum aliquo modo colligimus.

§. III. In hujus ergò enodatione, priusquam ad rem ipsam nos accingamus, lubet antea juxta communem susceptum morem de notatione nominis pauca dicere. Absolvitur enim res quævis in communi ὀνοματολογία atque πραγματολογία: Illa iterum tria in se continet, videlicet (1) ἐτυμολογίαν, s. nominis originem, derivationem ac significationem; (2) ὁμωνυμίαν, s. variam vocis acceptionem & usurpationem; & (3) συνωνυμίαν, s. æquipollentium investigationem.

§. IV. Quod Etymologiam spectat, *Æternitas* dicitur ab *æterno*, quod aliis est quasi *extrem terminum*, seu sine termino existens. Hinc juxta Suarez. (d) *Æternum* describi assolet hoc modò, quod existit ita, ut nun-

(d) Diss. 50. Met. s. 3. n. 3. p. 638.

ut nunquam sit finiendum, vel nec finiri possit sive ab intrinseco principi-
pio, sive ab extrinseco. Secundum alios *Æternum* dicitur quasi *æviter-*
num, per Syncopen, ab *Ævo*, & hoc à Græco *αιών*, quasi dicatur *αιών*
ων, semper existens, teste Aristotele (e). Nonnulli *Æternum* deduci
existimant ab *αιθήρ*, s. æther, *διὰ τὸ εἶναι & θέειν*, currere, ut ita *Æter-*
num sit quasi *Ætherinum*, eò quòd cœlum videatur *αιθέρων ἡρώ* *ἀφ' ἡρώ*
των ἡρώ ἀναδιδάσκων. Hinc antiquitus scriptum erat A I T E R N U M.
De quo vide sis Beckmannum (f). Confer. etiam in h. l. B. Dn. D.
Klotzium (g), nec non Dn. Mejerum (h).

§. V. Porro quod Homonymiam attinget, dicitur *Æternitatis* vo-
cabulum ambigüe, & quidem (1) *abusive*, pro tempore *diuturno* & *lon-*
gavo, utpote quod omnium hominum excedit cogitationes; vel pro
duratione vite, quomodo *servitus* dicitur *æterna* ejus, cujus aures perfo-
ratae erant; imò in communi *æternam gratitudinem* pollicemur bene de
nobis merentibus. (2) *Improprie* & *strictè*, pro *duratione limitata* ac
(non longæva, sed) *perpetua*, quatenus videlicet notat tantummodò
indefectibilitatem à posteriori, & vocatur *Æternitas* à parte post, quæ
nullum quidem agnoscit finem, licet verum habeat principium. Hæc
verò *Æternitas* potius dicitur *Ævum*, & quæ ita durat, *æviterna*, quàm
æterna. Et hoc modò tribuitur creaturis, utpote Angelis & Animæ ra-
tionali, itemquæ vitæ *æternæ*. (3) *Proprie* & *adaquatè*, pro ejusmodi
duratione absoluta & *infinita*, quæ initii & finis nullatenus potest esse ca-
pax, eamquæ ob causam dicitur *Æternitas* à parte antè & à parte post, &
iuxta hanc solus DEUS æternus esse creditur, quàm *Æternitatem* ulti-
mam etiam h. l. solùm intelligimus.

§. VI. Caterùm quæ Synonymiam hæc *Æternitas* variis aliis
nominibus in variis lingvis dotari solet. Utpote apud *Ebraeos* vocatur
עולם (à quo Latinum *Olim*) Perpetuum, *Æternum*, *Seculum*, à rad:
על, occultavit, abscondit, quia *Æternitatis* initium finisquæ latet,
& à sensibus nostris abscondita est. Præterea & apud eosdem vocula
על (usque, usque ad *Seculum*) absolutè posita *Æternitatem* infert,
quia eandem nemo meditando assequi potest, sed semper ulterius pro-
gredi necessum habet. Græcis *Æternitas* vocatur *αιδιότης*, æternus ve-
rò *αιών* & dicitur, ab *αιών*, ævum, vel æternitas, quasi dicatur *αιών*
αιών

(e) Lib. 12. Met. cap. 7. (f) in Origin. LL. pag. 198. (g) in Disp. X.
Pneum. S. 21. p. 568. seq. (h) Lib. 1. Pneum. c. VI. S. 1. p. 440.

ων, juxta Aristotelem (i), vel ωσαύτ' αἰεὶ ἔσονται, à perpetuo statu;
Item αἰδι.Ⓞ, quod idem, teste Phavorino, sic dicitur, quasi αἰεὶ ὦν ὁ
μηδέποτε δεξάμενος μηδέ λήγων. *Latinis* appellatur *Æternitas* à par-
te antè, & à parte pòst, Duratio simpliciter interminabilis, Sempiterni-
tas. &c. Vide, si placet, de his nominibus uberius differentem *Magnam*
Academia nostra Lumen Magnif. Dn. D. Calovium (k).

§. VII. Evolutis nunc iis in Onomatologia involucris, quibus
nomen *Æternitatis* involutum esse videbatur, ulterius nunc progredi-
endum erit ad ipsam Pragmatologiam, quod dum fiet, paucis antea dis-
piciemus [I.] *Existentiã Æternitatis*, an videlicet hujusmodi *Æterni-
tas*, de qua in fine §. V. dictum, detur, (nam, juxta Philosophorum axio-
ma, Non-Entis nullæ dantur Affectiones;) &, quodnam ejus sit *Subje-
ctum*, cui hoc ipsum *Attributum* conveniat, inquiramus. Illud itaque
DEUM esse, nemo unquam in dubium vocare ausus est, id quod non
tantummodò è sacris literis luculentissimè probari posse, dilucidè satis
exhibent B. D. D. Gerhardus (l), itemq; Venerandus D. D. Calovius
(m); quin & ipsi Gentiles hanc *Æternitatem* non omninò ignorarunt,
sed potius eandem unanimiter sunt confessi, ex lumine Naturæ certior
res facti. Thales enim Philosophus interrogatus, *quidnam esset in tota*
rerum Natura vetustissimum? respondit; *DEUS*, quia nunquam esse
cepit. Idem interrogatus, *quid esset DEUS?* respondit: ὁ μὴτ' ἀρχὴν
ἔχων, μήτε τέλος. Plato in *Timeo* asserit, DEO nihil præteriti, nihil
futuri absque blasphemia tribui posse. Plura hanc in rem quorundam
ex Ethnica gente dicta & instituta valdè illustria, congesta & annotata
vide apud cit, B. D. Klotzium (n).

§. VIII. Nobis quoque solummodò jam nunc negotium erit, ut
ostendamus, quoad vires poterunt, quâ ratione olim Gentiles DEI
Æternitatem cognoscere valuerint ex solo Naturæ lumine, aut quomo-
do etiam nos adhuc, citra intuitum revelationis divinitus factæ, nudo
rationis discursu eam colligere queamus. Cujus rei non unum, sed be-
nè multa sese hîc nobis offerunt argumenta, quæ intellectum nostrum
adeò urgent, ut, DEUM *æternum* esse, certò persuasum habeamus.
Primum itaque ab *infinita DEI essentia* petimus, ubi ita argumentamur:
Si DEUS secundum totum suum Esse est infinitum Ens, sequitur, quòd
etiam

(i) L. 1. de Cælo. (k) in Syst. Theol. Tom. II. cap. VIII. p. 385. seqq.
(l) LL. Theol. L. II. Sect. 4. §. 138. (m) loc. cit. (n) h. c. §. 25. p. 579.

etiam secundum durationem sit infinitum Ens, adeoq; æternum. Sed prius est verum, non enim indiget probatione, quandoquidem id ipsam ex absoluta DEI independentia satis aperte constat. Collectio probatur, quia duratio rei intrinseca (etiam in re creata) non differt realiter à subjecti sui essentia; Ideoq; uti sese res habet in essendo, ita & in durando. Jam verò, cum DEUS in Esse suo summè sit infinitus; Ergo oportet, ut etiam in duratione infinitus atq; æternus permaneat. Adde, quòd, uti DEUS nullis essentia finibus circumscribitur, neque durationis & existentia finibus circumscribi poterit. Aliàs infinitus esset, & simul finitus, quod contradictorium sanè est. *Secundum ipsa Independentia Divina* exhibet. Nam quodcumque est Ens independentis atq; primum, necesse est, ut sit quoque æternum. Jam subsumtio de DEO vera est, quia nullam sui causam in Esse suo agnoscat, adeoq; nec ratione suæ durationis aliquam causam admittere potest. Eadem enim, ut jam modò dictum, sunt principia essentia & durationis, propter realem illarum identitatem. Quod igitur nullam suæ durationis causam admittit, illud nec incipere potest, nec desinere; Non incipere, quia nihil sit sine causa, nec tamen quicquam sui ipsius causa esse potest; Nec desinere, quia id fieri deberet per subtractionem influxus conservativi, quem tamen hoc subjectum, nimirum DEUS, de quo in præsentia agimus, non agnoscat. Ergo si hic neque incipere, neque desinere potuit, erit omninò æternus, aliàs, si incipere potuisset, per aliud se prius inceperit, & tum hoc pacto independentis non fuisset, foret adeoq; independentis & dependens simul, quod iterum absurdum. *Tertium Immutabilitas Divina* nobis suppeditat. Quicumque simpliciter est immutabilis, is sanè etiam æternus erit. Atqui DEUS simpliciter est immutabilis. Erit æternus. Majorem quod attinet, ea extra omnem dubitationis aleam est posita. Minor etiam clara est, nam si DEUS non esset æternus, posset aut incipere, aut desinere per inceptionem ac desitionem sui, quod certè utrumque infert mutationem. Si enim inceperit, à non-esse ad esse transibit, id quod omninò est mutari; sin desierit, tunc ab esse ad non-esse transibit, quod itidem est mutari. Jam autem, cum omnis mutabilitas à DEO removenda, quia nec ejus essentia, nec intellectus vel voluntas mutari potest, non potest non esse æternus, uti manifestè patet ex collectione.

§. IX. Hæc itaque argumenta ad stabiliendam DEI Æternitatem

tem è ratione petita satis clara atqve perspicua, imò & invicta esse autu-
mo. Reliqua verò, quæ & aliàs ab aliis adferri assolent, non tam apta
atqve perspicua, quàm potius obscura esse videntur. Inter quæ etiam
tria illa priora, quæ *Marsilius Ficinus* (o) conglomerat atqve inculcat,
referenda esse puto, quorum primum accersit ab *infinita DEI virtute*,
per quam in infinitam & ipse permanet, & cætera servat; Alterum de-
sumit à *veritate DEI*, quæ omne rerum antecedit initium, & omnium re-
rum fini succedit; Tertium petit à *DEI Excellentia*, quâ super omnem
modum tempusq; omninò existit. Ipsissima verba harum probatio-
num si desideras, legere potes, si velis, B. D. Klotzium, qui eadem (p)
clare atqve expressè recenset. His, ceu invalidis atqve iufirmis ratio-
nibus ab *Excellentiss. Dn. Donati, Præceptore meo summoperè colendo*,
etiam illud *Heereboordii* (q) annumeratur, cujus in *Disp. pecul.* (r)
meminit, quam, si lubet, consulas.

§. X. Dum ergò hucusqve *Æternitatem* essentia Divina attri-
buimus, minimè ab ea *Attributa Divina*, actiones item tam liberas, quàm
necessarias, tum immanentes, tum transeuntes, (vel quicquid aliud alio
nomine intra ambitum essentia Divina comprehenditur) spectatas ta-
men non terminativè, ut sunt aliquid extra DEUM; sed ratione princi-
pii, in quantum intra complexum Divina substantia sunt positæ, consi-
deratas, excludimus. Atqve hæc *Attributa* & cætera in universum o-
mnia æterna esse, modò dictò, ex summa eorum, quæ in DEO sunt, i-
dentitate cum essentia Divina indubitato colligimus. Id quod contra
quosdam, decreta Divina, aliosq; actus à libera DEI voluntate penden-
tes, non ab æterno in DEO extitisse, sed instar accidentium in tempore
cœpisse, contendentes, notandum erat, de quo verò alibi disputandi
locus relinquitur.

§. XI. Certiores itaqve facti de *Æternitatis* hujus *Existentia*,
aggredimur nunc porro (II.) ipsam *Essentiam ejusdem*, ad quam eò me-
lius declarandam opus erit aliqua *Definitione* ac *Divisione*, itemq; *Pro-*
prietatum enumeratione, *Definitionem* quod attinet, ea hoc loco ac-
curata dari atqve expectari nequit, quia *Æternitas* non est è genere re-
rum prædicamentaliū; sed *Transcendentallum*, ergò *Descriptione*,
saltem aliqua contenti esse cogimur. Describitur verò ea à variis variè.

Thomæ

(o) *L. 2. de Immort. Anim. c. 5. p. 99.* (p) *l. c. p. 578.* (q) *Disp. Se-*
lect. vol. 1. Disp. 25. th. 6. p. 95. (r) *De Æternitate §. 28.*

Thomæ (s) *Æternitas est duratio, quæ nullam successionem admittit, neque in esse, neque in proprijs & internis actibus seu operationibus rei æternæ. Est item Æternitas nihil aliud, quàm eminentis perseverantia in esse, ut bene Hurtad. de Mendoz. (t) ait. Scholasticis describitur, quòd sit duratio indivisibilibus, excludens omnem successionem; interminabilis, excludens principium & finem; independens, excludens omnem imperfectionem & mutationem.* Pro receptissima quidem omnium ab Excellent. Dn. Donati (u) haberi solet illa, quam Boëthius (x) hoc modò tradit, *Æternitas, inquam, est interminabilis vita tota simul & perfecta possessio.* Verùm enim verò, quamvis hæc descriptio, etiam juxta ipsius censuram, nil falsi contineat, ac præterea non infeliciter Divinam Æternitatem describat; ea tamen hujusmodi est, quæ ad regulas artificum omni ex parte minimè quadrat. Præter enim rem conceptui Æternitatis *Vita* inseritur, quæ tamen longè diversum ab illa DEI Attributum est, ac præterea *Possessio* vocabulum nimis duriter loco *Duratio* adhibetur. Optima ergò & aptissima illa Æternitatis descriptio erit, quam Magnif. Dn. D. Calovius (y) breviter tradit h. m. *Æternitas DEI est duratio vel permanentia essentia DEI interminabilis.*

§. XII. In qua descriptione habetur Conceptus tum contrahibilis, tum contrahens. Quod quidem ad *Contrahibilem* vel *communem* ipsius *Conceptum* spectat, illius loco habetur *Duratio* vel *Permanentia*. Dicitur equidem *Æternitas Duratio* quædam, sed absque successionem, permanens & perennans, quæ nil nisi perpetuum *viv*, idè; fixum, non fluxum est. Aliàs *Duratio Scaligero* continuatus essendi tractus, *Pererio* extensio seu mora quædam existentia, plerisque (sensu quidem eodem, sed commodiori locutione) essendi permanentia seu permansio ac perseverantia in existentia, dicitur. Ubi tamen observandum ex Metaphysicis est, *Permanentia* vocem hinc omnis variationis esse incapacem, & non in oppositione ad successivum accipi, quomodo illi tantum competit, quod non habet partes sui esse in fluxu; sed jam in laxiori significato usurpari, prout *Entia* non permanentia solum, sed & successiva eatenus denominat, quatenus illa, ubi semel extiterint, non destruntur statim, aut ab esse suo deturbantur, sed retinent eandem existentiam,

(s) p. 1. Summ. q. 10. art. 5. (t) d. 17. Met. f. 4. §. 23. (u) loc. cit. §. 4.
(x) L. V. de Consol. Phil. cap. 6. (y) T. II. Syst. Theol. c. VIII. p. 384.
item in Metaph. Divin. de Duratione cap. VII. partim. 3.

etiam, quam antè habuerunt. Ex quibus facile constat, *Permanentiam* hanc, si ἐξοχώως sumatur, ut omnis variationis sit incapax, coincidere cum illa *Duratione*, eamq; minimè differre realiter à DEI existentia, sed convenire cum eadem quà rem ipsam, differre tamen saltem formaliter seu conceptu, ita ut secundum nostrum concipiendi modum (sicut *Svarezius* (z) loquitur) præexistentiam ejusdem existentiae connotet, seu quòd talis existentia concipi possit, ut existens, ante quodlibet instans, pro quo durare dicitur.

§. XIII. De cætero circa *Conceptum Æternitatis contrahentem* vel *proprium* multa inter eruditos aliàs foventur litigia, qui admodum variant in eo adstruendo, quorum sententias hinc enumerare instituti ratio non permetteret. Nos istum *terminabilem* esse, antè cum plerisque Philosophorum diximus. Ubi observes velim, quòd, (ut hoc occurrit in plerisque *Attributis Divinis*,) licet hoc formale negativè se nostræ menti sistat, tamen, si de conceptu totali & adæquato Æternitatis sermo sit, nec *actu* merè negativus sit, nec etiam nudà negatione absolvi possit; sed perfectionem positivam atque absolutissimam inferat; Id quod verò (quod probè tenendum) non ratione vocis, sed ratione significati intelligi debet. Nam si vocem spectemus, illa haud dubiè negativa est, quia terminabilitatem negat atque removet; res tamen significata voce istà negativà perfectio positiva est, rei æternæ citramentis operationem conveniens. Deinceps *Interminabile* hinc non idem est, ac *immensurabile*, seu quòd nullà mensurà definiri ac terminari potest; uti quidam hanc vocem interpretantur; Neque simpliciter idem notat, quòd carere principiò & fine; uti iterum quidam volunt; sed sumitur pro eo, cui repugnat omninò terminari vel deficere, seu initium & finem habere, & quòd non tantum *actu* non terminatur, sed ne quidem ob inhabilitatem ad incipiendum & desinendum terminari potest vel à priori, vel à posteriori, vel à parte antè, vel à parte post, uti loqui amant. Pro quo etiam aliàs *simpliciter indefectibile* dici potest, ut ita Æternitas perfectissima sit & tota simul, non admittens ullam existentiae variationem ac mutationem, imò ut ratione ipsius formalis repugnantiam sive negationem non tantummodò actualis defitionis ac inceptio nis; sed etiam capacitatis seu possibilis initii & finis inferat; adeòq; additur vocab: *simpliciter*, tum, ut uterque terminus removeatur tam à

parte

(z) *Phil. 50. Met. Sect. 3. num. 2.*

parte antè, quàm à parte pòst: tum, ut denotetur, non aliunde emanare, sed independenter planè DEO competere.

§. XIV. Hanc ergò *interminabilitatem*, quam nunc tradidi, primum atque proprium *Æternitatis* conceptum exhibere, probo ita: Quia conceptà *Duratiōe simpliciter interminabili*, si vel nihil aliud cogitem, *Æternitatem* tamen concipio; & contrà, non conceptà *Duratiōe simpliciter interminabili*, quodcunqve etiam concipiam, nunquam plenè & adæquatè *Æternitatem* cogito. Adde, quòd præter *Æternitatem* nulla alia duratiō allegari possit, quæ de ista *interminabilitate* participet, sed quæcunqve alia ab *Æternitate* detur, illa utrinqve terminabilis sit, & à parte antè, & à parte pòst, sive actu utrinqve terminetur, sive saltem ex una parte.

§. XV. Hinc *Descriptionem* jam excipit ipsa *Divisio*. Etenim duplicem Philosophi communiter *Æternitatem* constituere solent: Aliam scilicet *absolutè ita dictam ac simpliciter talem*, quæ quid utroqve terminò & à Quo & ad Quem, h. e. initiò & sine caret, adeòq; in duratiōe sua eorundem nullatenus potest esse capax; Aliam *limitatam & secundum Quid ac comparatè talem*, quæ quid tantummodò terminò ad Quem, seu sine duratiōis, destituitur. Hanc dicunt *Æternitatem à posteriori*, seu à parte pòst (aliàs *Ævum* rectiùs); Illam, *Æternitatem à priori & posteriori*, item *æternum à parte antè & à parte pòst*; Hanc Spiritibus finitis comprimis; Illam DEO tribuunt; Eamq; priorem nonnulli iterum in duas species alias dividere solent, videl: in *Primam seu Independentem*, cui repugnat simpliciter initium atque finis, ita ut ex se incapax sit limitum, & in sua intrinseca ratione infinitatem in durando includat; Et in *Ortam seu Dependentem ac Participatam*, quæ (licet ab æterno in æternum durare possit, tamen) non habet repugnantiam ad novitatem essendi vel terminum, cujus ratione etsi initium & finem actu non admittat, alterutrum tamen vel utrumqve eorum admittere possit, si DEUS ita olim voluisset, aut adhuc dum juberet. De priori, *principali* scil. atque *primâ*, (quæ sola à nonnullis admittitur, & aliàs, voce absolutè positâ, semper etiam intelligitur) hucusqve egimus; Posteriores s. *Participatam*, quæ creaturis, ad minimum sub possibilitate, à quibusdam tribuitur, ad *Quæstionem III.* reservabimus. Sed potius ad *distinctiones nominales*, quàm ad species *Æternitatis* referri debent.

§. XVI. Absolutâ Descriptione ac Divisione, methodi ratio nunc postulare, ut paucissima quoque de Æternitatis Adjunctis s. Proprietatibus diceremus, quæ aliàs ex descriptionibus nonnullis, quas passim cum Philosophi, tum Theologi de Æternitate formant, colligi solent. Quarum, ni fallor, quatuor Proprietates s. formalia consecutiva Æternitatis constitui possunt: Quippe *Invariabilitas*, *Indivisibilitas*, *Permanencia* & *Immensurabilitas*. Sed has jam disertè declarare instituti ratio non permittit. Vide sis de iis, si placet, copiosè admodùm differentem Excell. Dn. Donati in jam cit. Disputatione (a). Properandum potius est ad Quæstiones. Sit ergò

SECTIO II.
PROBLEMATICA.

QUÆSTIO I.

An Æternitas sit Attributū Dei solius proprium?

Εξήγησης.

Impingunt in hanc DEI æternitatem omnes illi, qui eandem & Creaturis adscribunt, adeòq; DEO soli eam competere negant, de quibus in Quæst. seqv. expressè fiet mentio. Nos verò eandem soli DEO adscribentes ostendimus id ipsum hoc modo: Præterquam enim, quòd Scriptura S. Æternitatem unicè DEO passim tribuat, & per eandem à creaturis in tempore factis eum distingvat, id quoque ex eo luculenter patet, non tantùm quòd Attributum DEI sit, adeòq; idem cum ipsa Divina essentia à parte rei; verùm etiam, quòd (ut jam antè patuit) durationem prorsus interminabilem dicat, quæ Divina essentia, quæq; interminabilitas certè nulli creaturæ, propter ipsius dependentiam atque finitatem, est communicabilis. Ergò soli DEO erit propria hæc æternitas. Præterea quòd est verè, absolutè, propriè ac simpliciter æternum, illud quoque est simpliciter immutabile. Jam verò nulla creatura est simpliciter immutabilis, quia à non esse ad esse processit, & ab esse ad non esse procedere potest. Cùm autem DEUS solus ut simplicissimus ac infinitus actus simpliciter immutabilis sit, E. solus quoque DEUS, verè, absolutè, propriè ac simpliciter est æternus. Adde, quòd nulla alia res sit sua ipsius duratio, dum non est suum Esse, DEUS autem sit suum Esse uniforme; adeòq; uti sua ipsius est essentia, ita sua etiam est æternitas.

Porro:

(a) §. 20. & seqq.

Porro: Quod ab essentia DEI est diversum, non potest esse æternum, quia (uti jam probatum fuit) æternitas est ipsa DEI essentia. At verò omnes creaturæ ab essentia DEI sunt diversæ. E. nulla creatura quoque erit æterna, sed solus DEUS. Tandem quia DEUS solùm est Ens infinitum, infinitas autem non potest esse absque æternitate, nec æternitas absque infinitate, unâ enim harum remota, statim tollitur & altera. E. sicut est solus infinitus, ita quoque solus est æternus. Sed nolo his diutiùs in hære, quoniam ea satis clara atque perspicua esse puto, cum jam suprâ §. VIII. & IX. de hujus Æternitatis subjecto fusiùs paulò dixerim. Vid. de hac Quæst. magnus ille Theologus B. D. Gerhardus (β), itemq; Frommius (γ).

QVÆST. II.

*Utrum præter DEUM æternum adhuc aliud
quid ipsi coæternum statui possit?*

Εὐννοια.

§. I. Sicut nonnulli, qui præter Æternitatem, juxta Quæst. præced. soli DEO propriam, aliam adhuc fingunt, quam creaturis saltem per participationem (de qua in seqv. Quæst. agetur) convenire dicunt. Ut jam non dicam de *Manichæis*, qui præter DEUM bonum, referente *Augustino* (δ), aliud adhuc coæternum principium, Deum videlicet *malum*, commenti sunt. Fuit quippe à *Vereribus Hermogenes* imprimis, qui hæresin de *Elementorum materia DEO coæterna*, ex qua DEUS mundum fecerit, introduxit. Nec defuerunt, qui *aquam* non à DEO creatam, sed ei semper fuisse coæternam, autumârunt, teste iterum *August.* (ε) Postmodùm hæretici quidam inter alia *Mundum DEO coæternum* esse docuerunt, à *Stephano* verò *Episc. Paris.* damnati, ut ex recensione *Cent. Magdeb.* (ζ) constat. Porro inter *modernos* sunt *Photiniani*, variòs hinc foventes errores. E quibus *Smalzius* (η) non diffitetur, fuisse quosdam, qui materiam DEO ab æterno coexistentem asseruerint. *Moscovicius* item affirmat, *lucem* illam *inaccessibilem*, quam DEUS inhabitat, esse aliquid æternum & increatum, & quæ sunt aliæ hujus farinae sententiæ, quas fusiùs enumeratas vid. apud *Magnif. Dn. D. Calovium* (θ).

B 3

§. II.

(β) in *LL. Theol. c. VIII. S. 4. quæst. 1. §. 145.* (γ) in *Synops. Met. l. II. c. VI. axiom. 2.* (δ) *Heres. 46.* (ε) *c. 75. Heres. (ζ) c. 5. col. 572.* (η) in *ref. Disp. Franz. p. 414.* (θ) *l. c. de Æternitate p. 388. seqq. item quæst. V. p. 420.*

§. II. Verùm enim verò cùm hæc omnia falsa atqve absurda sint, siquidem jam in quæst. præced. statuerimus, DEUM solum æternum esse, ideò meritò eas opiniones rejicimus. Amplissimus verò hîc sese offerret dicendi campus, si ea omnia examinare vellemus; sed cùm id instituti ratio non patiatur, pauca solummodò jam pro confirmanda mea sententia adducam, quandoquidem id suffecerit, modò unum alterumve erratum tetigero. Et quidem quod *Æternitatem Mundi*, quam plerique Peripatheticorum statuerunt, attinet, contra eandem Conimbrienses (1) argumenta petunt ab antiquitate sententiæ hujus, à perpetua artium cultura, à temporibus, quæ commemorant gentiles Historici, ac denique à decremento humanorum corporum. Quibus Greg. de Valent. (x) duo alia addit, unum à manifestatione potentiæ ac perfectionis Divinæ, alterum à mundi senio. Sed isti Autores ipsimet diffidunt hisce suis rationibus, dum apodicticè seu evidenter creationem mundi in tempore factam è lumine naturæ demonstrari posse inficiantur. Nos interim breviter pro nostra sententia ex impossibilitate rei concludimus, esse quippe impossibile, Mundum statuere æternum, & quidem ob ejusdem finitatem; Nam quodcunque creatum est, omninò est finitum; Jam inter essentiam rei & ipsius modum certa debet intercedere proportio. Atqui essentia mundi est finita; Ergo etiam durationem ipsius, quæ modus essentiæ est, & à parte rei idem cum ea, finitam esse oportet, cùm aliàs finitum non sit capax infiniti, quod tum verum esset, si mundus finitus infinitæ durationis esset particeps. Ulteriùs contra Photinianos *materiam DEO coeternam* asserentes concludo: Si materia DEO coeterna est, & quidem increata, nulla erit creatio ex nihilo; quod tamen historice creationis & apertis Scripturæ testimoniis repugnat. Porro, si materia increata est, destrui à DEO non poterit. E. nulla erit Seculi consummatio, quod tamen absonum. Et quæ sunt alia argumenta directa contra has varias sententias, quæ vide apud modò citat. Dn. D. Calovium (λ). Confer. etiam hanc in rem B. D. Meisnerum (μ), nec non B. Jac. Martini (n).

QUÆST.

(1) *Comm. in L. VIII. Phys. c. 2. quæst. 3. art. 3.* (x) *in l. Thom. Disp. 3. qu. 3. punct. 1.* (λ) *l. c. p. 421 & seqq.* (μ) *in Phil. Sobr. P. 1. Sect. 3. c. 3. quæst. 1.* (ν) *in Exercit. L. II. Exerc. V. Theor. 2.*

QVÆST. III.

An Æternitas participata sit vera Æternitas?

Εξήγησις.

§. I. Multos fuisse, qui præter DEUM æternum etiam alias res ipsi co-æternas, imò ipsum Mundum ab æterno existentem, & si non hoc, tamen materiam aliquam primam DEO coæternam, ex qua mundus sit conditus, statuerint, ex Qv. præc. jam patuit. Quod quia tamen adhuc multis dubium visum fuit, dixere nihilominus, mundum creati potuisse æternum, ita ut æternitas (quam Participatam vocant) creaturis communicari absque repugnancia potuerit, ut tamen æternitatem in solo Deo eminenter esse dicerent: Inter quos fuerunt cum primis Scholastici, ut Scotus, Durandus; Quibus accedunt Greg. de Val. Thomas, Hervæus, & plures alii, qui res promiscuè omnes condi potuisse æternas acriter contenderunt.

§. II. Econtra verò Ambrosius, Augustinus, & è Scholasticis ac Pontificiis Albertus, Toletus, item è Calvini Scholâ, Timplerus, Keckermanus, planissimè negârunt, ullas res præter DEUM esse posse æternas. Quorum sententiæ & nos subscribimus, quæ ex eo dilucidè apparet, si consideremus, quòd Æternitas nihil aliud sit, quàm perennis duratio, omnis originis, interruptionis, innovationis & finis penitus expers. Hujusmodi autem duratio quomodo ulli creaturæ attribui potest? Unde quæso oritur, nisi ex essentia infinitate? Quæ cum non nisi soli DEO propria sit, nemo non inde colligere facillè poterit, quòd æternum esse & creatum esse omninò a se separata sint. Prætereà quòd nulla creatura æternitatis particeps fieri potuerit, ipsa creaturæ ratio, conceptus, nec non qualitas indicat, quia creatum esse, est habere initium sui Esse; Jam verò quidquam sui Esse initium habere non potest, nisi etiam habeat durationis suæ initium, quia duratio rei cum essentia intrinsecè & realiter eadem sunt, simulq; existunt. Ut itaque se res habet in esse, ita quoque in durare: Atqui creatura in essendo est finita, E. & in durando. Hinc porro: Quod non potest durare, nisi habeat aliquando suæ durationis initium, non potest esse æternum; Atqui creatura ita absque initio & fine durare nequit. E. sequitur, eam minimè potuisse esse æternam, & sic æternitatem illam participatam non dari. Conf. h. in l. B. Dn. D. Brochmannus (ξ), qui dicit, hanc æternitatem puram putum commentum esse.

QVÆST.

(ξ) Syst. Theol. de Creatione rerum, cap. II. Quæst. VI. Resp. 2.



QVÆST. IV.

An Æternitas in DEO successione inferat, adeoq; temporis admittat differentias?
 ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

§. I. Quamvis unanimi sententiâ Patres orthodoxi tempus & successione ex æternitate eliminârunt, Theologi quoque, ut & orthodoxi Ecclesiæ Doctores hanc opinionem postmodum acriter propugnârunt; atque tamen ex Photinians multi eò temeritatis progressi sunt, ut in æternitate DEI prius & posterius, durationem item præsentem, præteritam & futuram, adeoq; tempus dari successivum, statuerint; cum tamen apud omnes sanè mente præditos certum esse debeat, essentiam DEI indivisibilem & totam simul esse, in qua nullæ partes sint sibi invicem succedentes: Cui sententiæ posteriori & Nos pollicem premimus.

§. II. Id quod ex eo apparet, quia æternitas à parte rei idem est cum essentia DEI simplicissima; quandoquidem notum sit, quamvis durationem non increatam duntaxat, sed & creatam, non realiter, sed ratione tantum ab essentia rei durantis distingvi. Jam autem cum hujusmodi temporum differentiarum, partes esse sibi succedentes, realiterq; ab invicem separabiles, inferant, essentia Divina, utpote simplicissima, ejusmodi partes realiter distinctas, ex quibus sit composita, minimè admittet. Adde, quòd talis successio temporis rei quoque supponat mutabilitatem, dum istiusmodi partes esse inferre, quarum quælibet, ubi ad momentum saltem extiterit, statim perit iterum, alteri sibi succedenti locum relinquens; Atque hinc imperfectio quoque haud exigua ipsi inesse videtur, quia negat simultatem totius esse, ac ita infert partialitatem ipsius esse ad quodlibet momentum. Quæ sanè omnia cum essentia Divina consistere minimè posse, luce meridianâ est clarius. E. concludimus tandè: Æternitas est tota simul, nec temporis admittit differentias.

§. III. Atque hæc nostra de Æternitate sententia est, quam balbutiendo tantum, utcumq; possumus, non ut volumus, in hac infirmitate ac imbecillitate fovemus. Rationes Adversar. contrarium in hac parte adversus nos statuentium, silentiò nunc præterire instituti ratio jubet. Quæ tamen omnia plenius discussa leges, si cupis, apud Vasquez (o), B. Klotzium (π), B. Jac. Martini (ρ), B. Scheiblerum (σ), & inter hos præcipuè Magnif. Dn. D. Calovium tam in Syst. Th. (τ), quàm in Met. Div. (υ), pariter ac Exc. Dn. Donati (φ); Confer. item Frommii (χ). Nos, ne Disquisitio nostra paginarum numerum à Fac. Philos. præscriptum excedat, hîc filum abrumpere, adeoq; perdem figere cogimur, gratias interim æternas æterno DEO agentes pro sua benignissima assistentia, in cujus quoque nomine sit

F I N I S.

(o) l. 6. Disp. 32. c. 2. 3. & 4. (π) D. 10. Tb. N. 1b. 28. seqq. (ρ) P. pr. D. Th. Sch. in A. C. D. 6. & T. de Tr. El. l. 11. c. 51. (σ) in Met. l. 1. c. 16. T. 8. art. 16. (τ) c. 8. q. 4. (υ) P. Gen. c. 7. de Dur. Por. 3. & 4. (φ) in G. Pn. MSC. b. l. 9. 5. (χ) l. 6. q. 5.

Ung. VI 59

ULB Halle

3

004 186 672



f


Sb.

VD 17.

Jun. 2000 Al,







JOVA JUVA!
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
EX
THEOLOGIA NATURALI
DE
ÆTERNITATE, 21

QVAM
DEO ÆTERNO DUCE,
ex benevolò Ampliſſ. Facult. Philoſoph. indultu
IN ELECTORALI AD ALBIM LEUCOREA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI PRÆCLARISSIMI, HUMANISSIMI,
PARITER ATQVE DOCTISSIMI
DN. M. PAULI PLATANI,

Muotová - Hungari,
Fautoris atqve Amici honorandi, Præceptoris
itemq; æſtumatiffimi,
Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni

ſiſtente
AUCTOR & RESPONDENS
MICHAEL SARTORIUS,

Gubenenſis Luſatus,
Ad Diem XXVII. Martii, A. O. R. M. DC. LXXVIII.
IN AUDITORIO VETERIS COLLEGII,
Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOH. BORCKARDI excudebat SIMON Sieberſtrotz

